



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCXXIII. Ioannis Papae VIII. Ad Vercellenses. Praecipit vt  
Conspertum a se illis episcopum constitutum recipient, & congruo honore  
colant. Iosephi inuasoris acta nulla esse declarat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

quo erat antea gradum reuerti. Porro nos, secundum voluntatem, & petitionem dilecti filii nostri Carolomanni glorioſi regis hunc Conſpertum reuerendissimum, de quo iam olim vobis per vestrū fidelem missum innotuimus, in eadem Vercellensi ecclesia, consentientibus omnibus comprouincialibus episcopis, antiſitem consecrauimus, quem petimus obnixe, vt pro amore Dei, & sancti Petri, ac nostro, vestræ potentiae brachio tueamini, &, prout ei opus fuerit, dignum ſemper in omnibus præbeatis folium. Regalem excellentiam vestrām Dominus conſeruet in columem cariſſime fili. Data vt ſupra.

## EPISTOLA CCXXIII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD VERCELLENSES.

Præcipit vt Conſpertum a ſe illis episcopum constitutum recipiant, & congruo honore colant. Iosephi inuaſoris acta nulla eſſe declarat.

*Omnibus presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, & omni clero, ac primatis, omniq[ue] populo Vercellensi.*

**H**IS nostris apostolicis literis vobis cognitum facimus, quia Anſpertum dudum archiepiscopum Mediolanensem pro ſuis multis præſumptionibus & negligentiis iam olim vna cum sancta Synodo ſacra communione priuauimus. ſed ipſe contra canonica ſtatuta, & contra noſtrum apostolicum synodicumque iudicium agens, ante audientiam, & aſſolutionem ministerium ſacrum agere, atque adhuc excommunicatus in hac Vercellensi ecclesia veftra, quemdam virum Iofeph nomine, vt audimis, contra regiam & noſtram apostolicam voluntatem, episcopum ordinare temere præſumpſit. Ideo & eumdem archiepiscopum, & hunc ipsum Iofeph inuaſorem, ac præſumptorem, non intrantem per oſtium, ſed aliunde quaſi furem ingredientem in ouile Domini, cum virtute sancti Spiritus, & auſtoritate beatorum Petri ac Pauli apolloſorum principum, noſtroque apostolico iudicio, vna cum synodali cœtu reuerendissimorum episcoporum omni episcopalii honore decreuimus eſſe priuatos & alienos: tamen intuitu misericordiae, decreto synodali ſtatuiſimus, iam fatum

K k iij

Joseph inuasorem ecclesiæ vestræ , de ordine episcopal deiectum in gradum & ordinem , quo prius extitit , omnimo reuerti . Nam cum prædictus Anspertus dudum Mediolanensis archiepiscopus esset regulariter excommunicatus , aliquam vel minimorum in ecclesia Dei consecrationem graduum facere nullo modo potuit : quia quod non habuit , dare profecto nequivuit . Quare omnium vestrum cognoscat sagacitas , & laudanda fidelitas ; quoniam dilectus , ac spiritalis filius noster Carolomannus gloriosus rex istius Italici regni , ipsum Vercellensem episcopatum , more præcessorum suorum regum , & imperatorum , concessit huic Consperto viro nobilissimo , præsentibus missis nostris , nostramque apostolicam clementiam suis est literis deprecatus , vt eum vobis episcopum consecraremus . Nos autem eius precibus inclinati , nolentes vos diu sine proprii ac legitimi esse cura pastoris , hunc ipsum sanctæ Vercellensi ecclesiæ vestræ apostolica dumtaxat auctoritate episcopum consecrauimus , dedimusque vobis pro inuasore illo istum pastorem , pro mercenario ignauo prouidum satis rectorem , qui scilicet nostris vos apostolicis doctrinis admonitus , quasi populum Domini sibi commissum more veri pastoris pabulo vitæ perpetuæque salutis pascere , atque in virga æquitatis & mansuetudinis regere vigilanti semper cura & solitudine solerter procuraret . Quem itaque vos omnes uno voto , & pio affectu quasi patrem , & rectorem animarum vestrarum , vtpote carissimi filii , vt recipiatis præsenti statuto nostro iubemus ; & abiecto ac reprobato supradicto inuasore , hunc , quem ordinauimus vobis , habetote episcopum . Nam magna vos laude dignos fore videmini , quod de beati Petri apostoli consecratione meruistis habere antistitem : & hoc in augmentum honoris ecclesiæ Vercellensis sine dubio proueniet , si vos deuota mente nostris obtemperatis præceptis . Nos enim vestram cupientes salutem , ideo monemus , vt mente & corpore salui esse possitis . Iubemus etiam omnes scripturas , vel dationes cuiuscumque tenoris , quas fecit de pleibus , casalibus , & villis ipsius ecclesiæ Vercellensis , nullam habere firmitatem ; sed omnia quæ fecit , esse iudicamus vacua & inania , quia legitimus ipse non fuit episcopus , & ideo quipiam dare non potuit : eum vero ,

qui ex his, quæ fecit, aliquid firmum esse dixerit, Ananias & Sapphiræ anathemate feriendum fore censemus. *Ad. 5.*  
 Nam si cuiuslibet consilio, vel hortatu, aliter facere, non de præsenti ipsum iniuriam abiciere studueritis, atque hunc, quem nos consecrauimus vobis, alacri cum voluntate non receperitis, omni ecclesiastica vos communiōne priuabimus, digneque anathemate feriemus. Data ut supra.

## EPISTOLA CCXXIV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD NOTINGVM NOVARIENSEM EPISCOPVM.

Monet, vt res Angelbergæ restituat; sin minus, denuntiat illi excommunicationem, nisi intra duos menses ad reddendam de his rationem Romam veniat.

*Notingo Nouariensi episcopo.*

**A**V DIVIMVS te res spiritalis filia nostræ Angelbergæ Augustæ iniuste tenere, quas volumus, & apostolica auctoritate præcipimus, vt continuo reddere studeas: & quod tibi retinere debere nulla lege conceditur, sub omni celeritate dimittas, vt ei, cui pertinere videntur, his perfui modis omnibus liceat. Nam si continuo præfatas res non reddideris, monemus, & apostolica auctoritate præcipimus, vt intra spatum duorum mensium Romam ad reddendam pro his rationem occurras, & coram nobis congruam satisfactionem exhibeas: alioquin tamdiu excommunicatus existas, quamdiu huic nostræ commotioni obtemperans, hæc quæ statuimus adimplere procures. Data xiv. Kalendas Nouembris, indictione xiii.